

## De prouerbiis Latinis recentioribus: Crateri Helferiano guttulae adpersae quaedam

Quis sermo aptior inueniri possit ad prouerbia siue adagia fingenda quam Latinus? Velut in aere incisa credideris quae Romana illa breuitate singulari dicta aut scripta sunt. Qua de causa nos non solum ueterum notis sententiis libenter uti solemus, sed nunc quoque noua producimus seu procudimus, quae antiquis auctoritate et grauitate paria uideantur. Quis non Catonem aliquem priscum aut Appium censorem sese audire existimat, cum *Homo faber* nuncupatur. Sed is *Homo faber* nuper excogitatus est diuulgarique coepit per titulum fabulae romanae Maximiliani Frisch. Quid? *Amor fati* cum multorum in oribus et chartis uersatur – consule nunc machinam speculatoriam Google –, nonne is Senecam et Marcum Aurelium Stoicos spirare tibi uidetur? Inuenit illum autem Fridericus Nietzsche praeterito demum saeculo philosophus celeberrimus. Quamquam non omnia tam feliciter ficta sunt. An quisquam e ueteribus bonisque eum qui a uulgi opinionibus dissentiret stare dixisset *Contra mundum*? Quam formulam nuper fortasse politologus Americanus quidam, Willmoore Kendall, inuenit (u. infra s.u. *Cato contra mundum*).

Commode certe utiliterque fecit Christianus Helfer, uir de Latinis litteris recentioribus multopere meritis, cum anno 1993 libellum edidit, cui titulum inscripsit *Crater dictorum. Lateinische Sprich- und Schlagwörter, Wahlsprüche und Inschriften des 15. – 20. Jahrhunderts* (Sarauiponti apud Societatem Latinam).<sup>1</sup> Quem nuper in hac VOCE LATINA, inde a uol. 41 (2005) fasc. 159, p. 65 ita retractare coepit, ut singulis dictis siue prouerbiis uersiones Germanicas, notas autem Latinas adderet. Quae ego cum animo ardenti perlegerem – nam omne genus prouerborum dudum in deliciis habui –, nonnulla uidi quae adiungi, interdum etiam emendari possent; pertinent autem ea ex aliqua parte ad fontes antiquos prouerborum recentium, unde haec deducta sunt. Quae et cum Helfero et cum VOCIS LATINAE lectoribus libenter communicare uolui. Quorum si quis errare me hic illic cognouerit, dicat aperte: grato libentique animo Aristarchum nostrum laudabo.

Usus autem sum fere his libris (quorum multi apud Helferum non inueniuntur):

**Ab nihilo.** *Plus de 600 citations latines expliquées, commentées et mises en situation:* [www.abnihilo.com](http://www.abnihilo.com)

**Bartels, Klaus / Ludwig Huber:** *Veni vidi vici. Geflügelte Worte aus dem Griechischen und Lateinischen*, Turici (1966) <sup>6</sup>1986 (recentissimas retractationes, 1990, 1992 editas, nondum uidi)

**Bühler, Winfried** (ed.): *Zenobii Athoi proverbia vulgari ceteraque memoria aucta edidit et enarravit W.B.*, Gottingae, uol. I: 1987, IV: 1982, V: 1999 (libri doctrina acumine lepore excellentes; insunt etiam Latina multa)

**Häussler, Reinhard:** *Nachträge zu A. Otto, Sprichwörter und sprichwörtliche Redensarten der Römer*, Darmstadii 1968

**Henkel, Arthur / Albrecht Schöne** (ed.): *Emblemata. Handbuch zur Sinnbildkunst des XVI. und XVII. Jahrhunderts*, Stutgardiae 1967 (it. impr. 1978, 2003)

**Kinzler, Ad.:** *Klassisches Immergrün. 284 lateinische Citate nach Sinn und Anwendung erklärt*, Stutgardiae 1899

**Kocher, Henerik:** *Dicionário de expressões e frases latinas:* [www.hkocher.info/minha\\_pagina/dicionario](http://www.hkocher.info/minha_pagina/dicionario) (habet 1.476 prouerbia)

**Kudla, Hubertus:** *Lexikon der lateinischen Zitate. 3500 Originale mit Übersetzungen und Belegstellen*, Monachii 1999

**Liebs, Detlef:** *Lateinische Rechtsregeln und Sprichwörter*, Darmstadii <sup>4</sup>1986

**Otto, A.:** *Die Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer*, Lipsiae 1890

**Schaller, Dieter / Ewald Könsgen:** *Initia carminum Latinorum saeculo undecimo antiquiorum*, Gottingae 1977

**Tosi, Renzo:** *Dizionario delle sentenze latine e greche. 10.000 citazioni dall'antichità al rinascimento nell'originale e in traduzione con commento storico, letterario e filologico*, Mediolani 1991, <sup>11</sup>1996 (liber stupendus doctrina, utilissimus)

---

<sup>1</sup> Cf. laudationes facetas huius operis quas scripsit Georgius (Jürgen) Werner in: *Mitteilungen des Deutschen Alphilologenverbandes* 3, 1996, 128-134 (ubi etiam similes collectiones comparantur) et in: *Gnomon* 69, 1997, 368-371.

**Walther, Hans:** (1) *Proverbia sententiaeque Latinitatis medii aevi*, Gottingae 1963-1967

(2) *Proverbia sententiaeque Latinitatis medii ac recentioris aevi*, Gottingae 1982-1986

**Wander, Karl Friedrich Wilhelm:** *Deutsches Sprichwörter-Lexikon*, Lipsiae 1867-1880

**Wikipedia: Latin proverbs:** [http://en.wikiquote.org/wiki/Latin\\_proverbs](http://en.wikiquote.org/wiki/Latin_proverbs) (insunt nonnulla Americana)

VL = VOX LATINA

### **Aerugo animi cura peculii** (VL 41, p. 70)

Sententia non a Clemente XI papa inuenta est, sed e maiore parte redit ad Horatium, qui in libro *De arte poetica* Romanorum scholas et magistros, quia tantum utilitatem et pecuniam spectent, reprehendit (u. 330-332): *an, haec animos aerugo et cura peculii / cum semel imbuerit, speremus carmina fingi / posse linenda cedro et leui seruanda cupresso?*

### **Affectus non punitur, nisi sequatur effectus** (VL 41, p. 70)

„Die Gemütsbewegung [melius Binder in libro ab Helfero laudato: „der böse Wille“] wird nicht bestraft, wenn sie folgenlos bleibt“ (Helfer). Miror contrariam sententiam laudari a Detlefio Liebs, p. 26: *Affectus punitur, etsi non sequatur effectus*, quod sic explicat: „Auch die bloß versuchte Straftat ist strafbar.“

### **Aliis inseruendo consumor** (VL 41, p.71)

Haec sententia (quae etiam Maximiliano I. electori Bauariae placuit) inuenitur apud Gabrielem Rollenhagen, in *Selectorum emblematum centuria secunda*, 1613 (Henkel / Schöne p. 1363). In fabula Gulielmi Henrici Riehl cui titulus *Ouidius aulicus* („Ovid bei Hofe“, 1855), cap.5, hoc propositum habuisse dicitur etiam Carolus Augustus comes Weillburgensis. Cf. Kudla nr. 312.

### **Aliud legunt pueri, aliud uiri, aliud senes** (VL 41, p. 72)

Cf. Fridericum Taubmanum, in: Epigramm. I, Ad Andr. Weitzium: *TERENTIUM Pueri, Viri, Senes legunt. / Legunt: sed utrum quod legunt, intellegant / Pueri, Viri, Senes, sat haud intelligo* (1597, quod inueni in: *CAMENA*: [www.uni-mannheim.de/mateo/camenaset/settaub.html](http://www.uni-mannheim.de/mateo/camenaset/settaub.html)). Vbi Hugo Grotius id dixerit nescio. Cui Alfredus Gudeman (*Grundriss der Geschichte der Klassischen Philologie*, Lipsiae / Berolini 21909, p. 199) hanc sententiam tribuere uidetur: *Aliter pueri Terentium legunt, aliter Grotius*. Etiam Volfangus Goethe eam Grotio ipsi adscribit in *Fictis factisque* („Dichtung und Wahrheit“ II 6, cf. Ernestum Grumach, *Goethe und die Antike*, Berolini 1949, uol. 1, p. 330): *ualde indignabar cum Grotium superbe dixisse audirem se aliter legere Terentium ac pueros* („es verdroß mich gar sehr, als ich vernahm, Grotius habe übermütig geäußert, er lese den Terenz anders als die Knaben“). Huc spectat etiam dulcissimum Goethei epigramma (in *Xeniis mitioribus*, „Zahme Xenien“): „,Anders lesen Knaben den Terenz, / Anders Grotius.‘ / Mich Knaben ärgerte die Sentenz, / Die ich nun gelten lassen muss (Grumach l.l. p. 333).“ Cf. Kudla nr. 1599.

### **Amor fati** (VL 41, p. 73)

Verba quidem, ut Helferus docet, sunt Friderici Nietzsche (quae sibi his proximis annis scriptores musicique plurimi pro titulis librorum, etiam pellicularum discorumque sumpserunt), sententia ipsa referenda est ad Sophoclem, Menandrum, Senecam alios; nam Stoicae disciplinae unice est apta. Cf. quae plurima enumerat Tosi nr. 852, p. 398 sq.

### **Ars est celare artem** (VL 41, p. 78)

Hoc primus monuit Aristoteles in *Arte rhetorica* (1404 B 18): δεῖ λανθάνειν ποιούντας καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως ἀλλὰ πεφυκότως (*dissimulare debent artem* [sc. *oratores*] *neque artificiose uideri dicere sed naturaliter*); secuti sunt e rhetoribus Cicero, Auctor ad Herennium, Quintilianus (cf. quae optime disserit Christophorus Neumeister, *Grundsätze der forensischen Rhetorik*, Monachii 1964, p.130-155), e poetis siue amatoribus

Ouidius (ars 1,463): *sed lateant uires nec sis in fronte disertus, (2,313) si latet ars, prodest* (cf. Marcum Janka ad l. in comm. [Heidelbergae 1997] et W. Stroh, „Rhetorik und Erotik“, *Würzburger Jahrbücher für die Altertumswissenschaft* N.S. 5, 1979, p. 117-132); cf. etiam illud notissimum de Pygmalionis statua (met. 10,252): *ars adeo latet arte sua*. Nondum uidi librum Pauli D'Angelo (professoris Romani), *Ars est celare artem. Da Aristotele a Duchamp*, Maceratae 2005.

**Audaces fortuna iuuat** (VL 41, p. 80)

Verba sunt e Vergilii loco celeberrimo, paululum detorta (Aen. 10, 284): *audentes Fortuna iuuat*; subest tritum prouerbiium *Fortes fortuna adiuuat*, de quo uide praeter Otto p. 144 etiam Tosi nr. 851, p. 397 sq. et Henkel / Schöne p. 1634.

**Aurora Musis amica est** (VL 41, p. 81)

Auroram omni operi opitulari iam dixit Hesiodus (in *Operibus* 579); Musas huic sententiae inseruit nesquioquis poeta (cf. Walther nr. 1815a et 35054b; Tosi nr. 920, p. 430; Henkel / Schöne p. 1593), credo, ut uituperaret collegas Bacchum et Noctem ad carmina uocantes. Illud Germanicum autem „Morgenstund hat Gold im Mund“ (*Aurum est Aurorae in ore*) a ciue quodam meo, Suebo auaruo et laborioso, inuentum putauerim. Iucundissime sententiam Latinam uertit Iosephus Eichendorff in *Quibusdam e uita hominis nequam* („Aus dem Leben eines Taugenichts“), cap. 9, cuius uerba per senarium reddere iuuat: *ientando multa noli tempus perdere* („mit vielem Frühstück sollst du dir nicht die Zeit verderben“).

**Bonus orator pessimus uir** (VL 41, p. 218)

Hoc ubi inuenerit, Heferus non docet. Primus autem dixit, quantum reperire potui, Robertus Burton, qui in *Anatomia melancholiae* („The Anatomy of Melancholy“, 1621), cum in omne genus artificum inuehitur, ne oratoribus quidem rhetoribusque parcat: *bonus orator*, inquit, *uersipellis est, malus uir, bonus orator pessimus uir, linguam uendibilem habet* („a good orator is a turncoat, an evil man, *bonus orator pessimus uir*, his tongue is set to sale“). Vbi liquido patet auctorem et respexisse et in contrarium detorsisse definitionem illam oratoris a Catone prolatam, a Quintiliano ualde probatam (inst. 12,1): *orator [...] uir bonus dicendi peritus*.

**Caput mundi** (VL 41, p. 219)

Lucani est, 2,655 sq. (*ipsa, caput mundi [...] / Roma*); similia adferunt Tosi nr. 1007, p. 470, Schaller / Könsgen p. 637.

**Cato contra mundum** (VL 41, p. 220)

Helfer: „Cato gegen den Rest der Welt“. Recentem aetatem ipsa dictio spirat, ut supra adnotaui (nam *mundus* sicut *κόσμος* numquam pro hominibus uniuersis dicitur); sententia autem sine dubio referenda est ad notissimum Lucani uersum (1,128): *uictrix causa deis placuit, sed uicta Catoni*, quod plurimi sic interpretantur, quasi Cato contra deos stare ausus sit; *mundus* autem in hac noua sententia pro *deis* poni uidetur. *Contra mundum* aut similibus titulis (ut *America contra mundum* uel *Femina contra mundum*) inscripti sunt libri nonnulli recentiores, quorum agmen fortasse ducit notissima farrago scriptorum Willmoorii Kendall politologi optimatis Americani, edita anno 1971 (it. impr. 1994): *Willmoore Kendall Contra Mundum*.

**Cum tumulum cernis, cur non mortalia spernis?** (VL 41, p. 228)

Similem uersum inueni in titulo quodam Veteris Ecclesiae Petri Monacensis: *Cum speculum cernis, cur non mortalia temnis?* Vbi *temnis* mutatum esse e *spernis* olim conieci (W. Stroh, „Lateinisches vom Alten Peter“, *Die alten Sprachen im Unterricht* 30, 1, 1983, p. 10-13) nec uidi tales uersus iam esse apud Walther nr. 4983.

**Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores**

**sed genus et species cogitur ire pedes** (VL 41, p. 398 sq.)

Pentameter uix sic uertendus est, ut Helferus uidetur: [...] „doch die Grammatik muss zu Fuß gahn“; neque enim in grammatica, sed in dialectica (seu logica) respiciuntur *genus et species*. Recte igitur qui hoc finxit, quod etiam Helferus affert: *pauper Aristoteles cogitur ire pedes* (nam ex Aristotele paene omnis ars logica pendet); cf. similia apud Walther nr. 4983. Natum est prouerbum fortasse eo tempore quo in uniuersitatibus Artium facultas tota dialecticae dedita erat (studiis poeticis et rhetoricis in gymnasia translatis). Enumerantur igitur tres facultates medicinae, iurisprudentiae, artium; quod autem theologia ommissa est, originem Italicam indicare potest (ut nuper mihi monstrauit Vdalricus G. Leinsle, collega Ratisbonensis doctissimus).

**De gustibus non est disputandum** (VL 41, p. 399)

Prouerbum hoc originem ducere uidetur e philosophia scholastica (cf. K. Stierle, „Geschmack“, *Historisches Wörterbuch der Philosophie*, uol. 3, col. 444-449, ibi 445; cf. etiam H. Klein, ibid. col. 450; W. Stroh, „De gustibus est disputandum“, *Literatur in Bayern Sonderheft in hon. Dietz-Rüdiger Moser*, 2004 m. Febr., p. 76-83); quam late dispersum sit docet Wander, uol. 2, s.u. „Geschmack“, nr. 18, p. 1598 sq. Quodsi uerum est genuinam formam hanc fuisse: *de gustibus et coloribus non est disputandum*, ut ait Stierle, uidemus in uetustissimo prouerbio *gustus* dictos esse non tam uarios hominum de saporibus sensus quam ipsos rerum sapes.

**Debemus morti nostraque** (VL 41, p. 400)

Sic contra regulas grammaticae Helferus nescioquem Merkelium secutus; nam subest sine dubio pulcherrimus uersus Horatianus (e libro *De arte poetica* 63): *debemur morti nos nostraque*. Quod si mireris genus passiuum, confer Ouidium in met. 10,32: *omnia debemur* [male nonnulli: *debentur*] *uobis quodcumque creamur*; ubi non audiendos censeo commentatores, qui *omnia* accusatiuum limitatiuum uel ‚Graecum‘ putant (ut Fr. Boemer in comm., uol. 5, Heidelbergae 1980, ad l., et alii). Sententia iam apud Euripidem inuenitur; cf. Tosi nr. 519, p. 246.

**Deficiente pecu- deficit omne -nia** (VL 41, p. 400)

Iucundissimus pentameter a Francisco Rabelais tornatus non est „maccaronicus“, ut Helferus opinatur (nam in maccaronicis Latina et uernacula uerba aut uerborum partes inter se commiscentur); sed habet tmesin (cf. H. Lausberg, *Handbuch der literar. Rhetorik*, Monachii 1973, uol. 1, p. 358 sq.) iocose fictam ad exemplum Enni poetae, qui scripsit (ann. 609 Vahlen): *saxo cere- comminuit -brum*. Quem suo Marte etiam Gulielmus Busch ex aliqua parte imitatus est (in *Pia Helena*, „Die fromme Helene“, cap. 7): „Ach! - Die Venus ist perdü - Klickeradoms! - von Medici!“ Sed in his Enni et Buschi exemplis actus ipse frangendi uerbis fractis uel diiunctis quasi depingitur; apud Rabelasium potius pecuniae deficientis imbecillitas exprimi uidetur. Cf. etiam Walther nr. 5305.

**Dictum unius dictum nullius** (VL 41, p. 402)

Vix dubium mihi uidetur quin hoc prouerbum sit iungendum cum illo uulgatissimo *Audiat et altera pars*. Sic etiam Germanice dictum memini: „Eines Mannes Red / ist keines Mannes Red, / man soll sie hören alle beed“ (scriptum, nisi memoria fallit, in curia Bremensi); ceterum cf. Tosi nr. 1126, p. 513 sq., qui laudat etiam hexametros leoninos persimiles (Walther nr. 13150): *Solius affatus est sermo dimidiatus, / sed cum auditur reliquus, tunc res aperitur*.

**Difficilia quae pulchra** (VL 41, p. 403)

Ad uerbum translatum est e sententia, quam Plato non semel laudauit, χαλεπὰ τὰ καλὰ, post etiam paroemiographi Graeci et Erasmus in *Adagiis* rettulerunt; cf. Tosi s.u. *Per aspera ad astra* (nr. 1683, p. 749 sq.).

**Dolor grauis breuis, longus leuis** (VL 41, p. 404)

Hanc sententiam Epicurus ad leniendos dolores, quos ut summum malum detestabatur, excogitauit (K. Δ. 4 ; fr. 447 Usener); quare ridetur a Cicerone, fin. 2,22: *iam doloris medicamenta illa Epicurea tamquam de narthecio proment: „si grauis breuis, si longus leuis“*, cf. § 94.

**Dum nihil habemus maius [non: major], calamo ludimus** (VL 41, p. 406)

Versus senarius Phaedri est (4,2,2), qui apologorum suorum friuolitatē ipse deridet.

**Dum socius mingit, minge aut <te> mingere finge** (VL 41, p. 406)

Et grammaticae et metricae causa – nam hexameter est – *te* supplendum uidetur in uersu lepidissimo.

**E pluribus unum** (VL 41, p. 406)

Haec uerba, quae Ciuitates Americanae suo sigillo (etiam in dollariis nummis) inscripserunt, fortasse translata sunt, ut in *Wikipedia* electronica ([http://en.wikipedia.org/wiki/E\\_pluribus\\_unum](http://en.wikipedia.org/wiki/E_pluribus_unum)) adnotatur, e *Moreti* carmine (quod Vergili sub nomine traditum est). Sic enim huius cibi e caseo allio herbisque compositi natura dulcissimis uerbis describitur (104 sqq.): ... *color est e pluribus unus, / nec totus uiridis, quia lactea frusta repugnant, / nec de lacte nitens, quia tot uariatur ab herbis*. Sed forsā hanc similitudinē casui magis attribueris.

**Ede, bibe, lude, post mortem nulla uoluptas** (VL 41, p. 407)

Sic uersus hic saepissime laudatur – qui tamen eo displicet, quod prima pars rhythmica est (aut numeris caret), secunda metrica. In melius hexametrum conuersum eum me nescio ubi legisse memini: *Lude, bibas, comedas, post mortem nulla uoluptas*. Sententia uersiculi, quae Epicuro falso adscribitur, e triuio petita est (cf. W. Stroh, „De Horatio uitae praeceptore Epicureo“, in: *Apocrypha*, Stutgardiae 2000, p. 100-116, ibi 112 sq.).

**Esse potius quam haberi** (VL 41, p. 410)

Hoc antitheton, quod Helferius iure Sallustio historico (Cat. 54,6) tribuit, iam apud Aeschylum tragicum inuenitur (Sept. 592): οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ'εἶναι θέλει (quod sic metricè uerterim: *non optimus uideri is, esse sed cupit*). Cf. quae de Socrate dicta inueniuntur apud Helmutium Vretska in comm. ad Sall. Cat., Heidelbergae 1976, p.636. Hanc sententiam (i.e. *Esse quam uideri*) elegisse sibi Carolinam Borealem, ciuitatem Americanam, dicit *Wikipedia* (u. supra).

**Et ab hoste doceri** (VL 41, p. 411)

Notissimum Ouidianum est (met. 428): *fas est et ab hoste doceri*. Sub hoc titulo Gotfridus Gulielmus Leibniz a. 1694 librum de rebus militaribus diuulgauit (*Politische Schriften*, uol. 5, Berolini 2004).

**Ex nihilo nil fit** (VL 41, p. 413)

Verba ipsa sapiunt priorem partem hexametri (siue hemiepes), quem sic suppletum inuenis apud Walther nr. 8299: *ex nihilo nil fit, summus philosophus inquit* (pessima prosodia, cum et *phi-* et *lo-* corripī debeant). Locos similes ex Aristotele, Lucretio, Persio, Boethio collegit Bartels s.u. (cf. etiam Wander uol. 3, col. 1015 et Kocher nr. 1137). Notandum est fortasse

hanc philosophorum Graecorum sententiam repugnare eis quae Christiani theologi de opificio Dei sentiunt (cf. J. Köhler et al., s.u. „Schöpfung“, *Historisches Wörterbuch der Philosophie* 8 [1992] col. 1395-1413). Ridicule igitur Sebastianus Sailer sacerdos et poeta Suebus ingeniosissimus philosophos deludit, cum in *Creatione* comoedia („Die Schöpfung der ersten Menschen“) Deum sic sese iactantem ipso initio primi actus inducit:

*Quoniam nihil est nil, nihil et inde nascitur,  
mundum creare dudum proposui mihi.”*

(„Nuits ischt Nuits und wead Nuits weare, / drum hau-n-i wölla a Wealt gebäare“; S. Sailer, *Komödien*, it. ed. Dr. Owlgläß, Monachii s.a. [1913], p. 9).

### **Fiat iustitia et pereat mundus** (VL 41, p. 502 sq.)

Male, puto, hoc dictum (quod Hadriano VI. papae adscribit) interpretatur Liebsius (p. 73 sq.), tamquam *mundus* hic positus sit pro libidine magnatum („die persönlichen Interessen der Großen“) – nam id nimis remotum est a genuina uerbi. Tamen non solum Helferus, sed nuper etiam Ottfridus Hoeffe philosophus hanc Liebsianam interpretationem, cum *De iustitia* copiose disputat, defendit (*Gerechtigkeit, eine philosophische Einführung*, Monachii 2001, p. 53 sq.). Iam Immanuel Kant tale aliquid in suo scripto *De perpetua pace* („Vom ewigen Frieden“, 1795) sensisse uidetur; aliter explicauit Lutherus, laudatus iam a Kinzlero p. 48. Sed longum est hic omnium, qui hoc dicto usi sunt, interpretationes et opiniones percensere. Plurimi certe nunc id sic intelligunt, ut ironice dictum de eis credant qui simulacrum iustitiae tam prauo studio sequantur (Liebs: „Gerechtigkeitsfanatismus“), ut communia hominum commoda prae eo negligere parati sint; quare uisum est uim huius prouerbi prope accedere ad illud *Summum ius summa iniuria* (cf. Kinzlerum l.l., Wanderum uol. 2, col. 1565, multos alios). Primam originem autem prouerbi nemo adhuc, quantum scio, uidit. Subesse enim uidentur notissimi uersus Horatiani (carm. 3,3,1 sqq.): *Iustum et tenacem propositi uirum / non ciuium ardor praua iubentium, / non uoltus instantis tyranni / mente quatit solida [...]: si fractus illabatur orbis [= orbis caeli], / impaudum ferient ruinae*. Non igitur illo *Fiat iustitia* is uir reprehendi uidetur qui ius tam pertinaciter persequitur, ut ipsius mundi ruinam, si inde oriatur, pro nihilo habeat, sed laudatur is qui iustitiam sine timore etiam in extremo rerum discrimine tuetur. Certe is mundi interitus, quem Horatius dicit, non e nimio iustitiae studio nascitur.

### **Frangar, non flectar** (VL 41, p. 507)

Antithesis Ouidiana est (ars 2,178 sq.): *flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus, / frangis, si uires experiare tuas*, sed sensus contrarius; quam sententiam sequitur Ioachim Camerarius (1590): *flectimur, non frangimur* (apud Henkel / Schöne p. 357, cf. p. 1498). Similem opinionem profert etiam Iacobus Balde in Ode (a. 1642) ad Maximilianum I. electorem scripta (lyr. 4,1): *Dolore fortis saepe premi potest, / quandoque flecti; non tamen opprimi*. Illa autem audax sententia, quam Helferus affert, paene cum omnibus pugnare uidetur, quae uiri sapientes praeceperunt.

### **Gallia nos genuit, Africam penetrauimus omnem**

#### **et Gangem hausimus, nobis hic defuit orbis** (VL 41, p. 508)

Et primus et alter hexameter uitiosus est, nam et in *Africam* et in *hausimus* prima syllaba producenda erat. Paene eosdem uersus, sed diligentius elaboratos, liber electronicus *Ab nihilo* (uide supra) s.u. *Sistimus* tribuit Ioanni Francisco Regnard poetae comico illustri. Sunt autem tales: *Gallia nos genuit; uidit nos Africa; Gangem / Hausimus; Europenque oculis lustrauius omnem; / Casibus et uariis acti terraque marique / Sistimus hic tandem, nobis ubi defuit orbis*. Vnde suos uersus (si quidem recte transcripti sunt) deriuasse uidetur ille poeta de Fercourt, quorum secundus parua opera emendari potest; lege: *hausimus et Gangem, nobis ...* Quid autem uoluiset Regnardi illud *nobis ubi defuit orbis*, scriptor non intellexisse uidetur – aut temere sensum mutauit.

**Heu quam praesenti sunt lubrica omnia uitae ;  
quam cunctis rapida mors uenit atra pede** (VL 41, p. 511)

Sic tribus locis hi uersus corrigendi uidentur:

*Heu quam praesentis sunt omnia lubrica uitae;  
quam cunctis rapido mors uenit atra pede.*

**Historia uitae magistra** (VL 41, p. 516)

Ciceronis sunt uerba notissima (de or. 2,36); sententia repetenda est a Thucydide Polybioque, cf. Elmar Herkommer, *Die Topoi in den Proömien der römischen Geschichtswerke*, Diss. Tubingensis 1968, p. 128-136.

**Homo solus aut deus aut daemon** (VL 41, p. 519)

Sententia a Roberto Burton allata, non excogitata est, ut ipse fatetur (in *Anatomia melancholiae* 2,6): „These men are devils alone [sc. si solitarii sunt], as the saying is, *Homo solus aut Deus, aut Daemon*: a man alone is either a saint, or a devil [...]“. Quis id dixerit, neque Helferus indicat neque ego noui. Sed non dubium est quin prima origo huius dicti repetenda sit ex Aristotelis *Politicis* (1,2, 1253 a 2 sqq., 27 sqq.). Nam ibi, qui sponte sua ciuitate careat (ἄπολις), is a philosopho dicitur esse aut uilis (φᾶλος) aut maior quam homo (κρείττων ἢ ἄνθρωπος); postea Aristoteles dicit eum qui uitae societatem inire (κοινωνεῖν) non possit aut ea, quod ipse sibi sufficiat (δι' αὐτάρκειαν), non indigeat, ciuitatis non participem esse eum in modum, ut aut bestia sit aut deus (ἢ θηρίον ἢ θεός). Nam bestia bruta animal sociale non est, deus nullo consortio indiget. Hunc locum notissimum, quem etiam Albertus Magnus in *Ethicis* suis tractauit, Christianus aliquis, ut uidetur, ita sibi accommodauit ut pro bestia *daemonem* i.e. diabolium (ut pessimam bestiam) poneret. Quod uero Robertus Burton hanc sententiam sic explicat, ut de solitario dicat (Latino sermone usus): „*mens ejus aut languescit aut tumescit*“, uidemus eum aberrare a uetere Aristotelis sententia. Neque ille de effectu solitariae uitae, sed de causis dixit.

**Index est animi sermo** (VL 42, p. 104)

Verba haec debentur Palingenio, ut Helferus uidet; sed sensus iam in Graeco prouerbio comprehensus est: οἷος ὁ λόγος τοιοῦτος καὶ ὁ τρόπος (*qualis oratio talis etiam uita*), cf. Quintilianum, inst. 11,1,30. Exempla nonnulla collegit Eduardus Norden, *Die antike Kunstprosa*, uol. 1, Lipsiae / Berolini 21909, p. 11.

**Inter utrumque** (VL 42, p. 107)

Daedalus Ouidianus Icarum suum alis instructum sic monet (met. 8,206 = ars 2,63): *inter utrumque uola* ..., sc. ut nec caelum appetas nec maris aequor radas. Commendatur igitur aurea mediocritas (ut in illo *Medio tutissimus ibis*); cf. Henkel / Schöne p. 901; 1617; Walther nr. 12631. Alium sensum praestat his eisdem uerbis auctor eius emblematis, quod est apud Henkel / Schöne p. 1564 (cf. Walther nr. 13632). Ibi enim depingitur et describitur Victoria dea inter par pugnantium ambigua: *Inter utrumque uolat dubiis uictoria pennis, / Hic modo uictor (ait), mox (ait) alter erit* (interpunctionem mutauit).

Sapienti sat? Illi fortasse, non mihi. Studiose enim exspecto quae mox suo Crateri Helferus admixturus sit; nec guttulas nostras, si uacauerit, adspargere pigebit.<sup>2</sup>

Valahfridus Stroh

<sup>2</sup> Hanc scriptiunculam nostram perlegit nec paucis locis emendauit Catharina Kagerer, cui gratias debeo.